

pulchri futurum locum, tanta Dominus revelatione mirificavit. Certè, quòd hæc res pastori inter pascendum apparuit: significat, quòd illò dominicus grex dominicis reficiendis pascuis venturus fuit; sed quòd pastor fuit ipsius, id est *Maimulsi*, exponit quòd omnes incolæ ejusdem loci, scilicet pastores cum omni sibi commisso grege, debeant post Christi, sancti *Maimulsi* præcipuè servitio studere. Quòd autem cervas, non cervos vidit, gregem illum Dominicum ex famineo sexu collectum iri præfiguravit. Si quis enim quærat mysterium de viso lumine, nihil prohibet eum præsentiam S. Spiritus per lumen intelligere, quæ & olim Apostolis per ignem voluit apparere. Prædictus autem pastor hac exanimatus visione, nihil omnino sollicitus fuit de grege, sed timuit se jam ad præsens extrema passurum esse. Verumtamen cum postea vix reciperet animum, festinanter perrexit ad dominum suum, illique, quæ vidit visa, per ordinem cuncta discussit.

*Cap. VIII. S. Maimulfus Episcopo paratit visionem, quæ aliquoties iteratur.*

Vir Deo plenus, cordis corporisquæ auribus arreptis in verba dicentis; ubi dicens dicendi finem fecit, auditor lectissimus pro gratissima fama Christo sacrificium laudis immolare cœpit. Certè cœpit, cœptumque honestissimè perfecit: quo perfecto, prædictum Pontificem famæ hujus participem fecit, quæ quoque gaudij hujus socium esse speravit. Nec sperans hac spe delusus est, quia Christianissimus Pontifex